DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS KEAN,

HIBERNUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

———— *Sit mihi fas audita loqui.* VIRG.

Βούλομ' ἐγω λαὸν σοον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. ʽOMHP.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

CELSO AC OPTIMO,

FRANCISCO

COMITI DE MOIRA,

SUMMO COPIARUM SCOTORUM IMPERATORI,

&c. &c. &c.

VIRO,

FAMA CLARO,

FACTIS CLARIORI,

VIRTUTIS DECORI ET PRÆSIDIO;

HANC ACADEMICAM DISSERTATIONEM,

OMNI ORNAMENTO

PRÆTER EJUS NOMEN CARENTEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

PERTENUE MONUMENTUM,

EA, QUA DECET, DEFERENTIA

D. D. C.QUE

PATRICIUS KEAN.

To Dr Ogilvie with best wishes from the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

PROOEMIUM.

QUANDOQUIDEM alma Academia Edinburgena lege sacrâ sanxit, quemque lauream medicam petentem, opusculum priùs esse prolaturum, de re quavis medica aut literaria conscriptum, quàm ad Doctoris gradum evehatur, ego medicinæ honores jam ambiens, ei gerere morem statuo.

Ex variis morbis qui tam densâ mole in genus humanum feruntur, sævissimi sunt, qui functiones vitales turbant. Cùm mihi ex iis quendam, de quo agerem, eligere contigerit, *Phthisis pulmonalis* ad animum succurrit, quippè morbus, quo alius nec frequentior, nec inter homines strages tantas tamque miserandas agit. Adolescentiam et pulchritudinem, eheu! victimas quasi proprias et sibi devotas ubique conspicere licet. Ob quæ nostrorum funera mirum in modum affectus, multa suspiria mecum clanculùm duxi, et tempus exoptavi solicitus, quo studia nostra maturiora, nos edocerent, quibus tandem rationibus impetus hujusce morbi rapacissimos compescere potuerim: etiamnum verò, proh dolor! multum restat operis, multumque forsan in æternum restabit. Sperandum est tamen, operam ad causas hujusce mali investigandas impensam, et methodum principiis obstandis, et ipsi morbo medendo aptam, minimè irritam fore.

DEFINITIO.

Cel. CULLENUS sub Classe *PYREXIARUM*, et in Ordine *HÆMORRHAGIARUM* disponit, et sic breviter definit:

"Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, "febre hectica, et plerumque expectoratione "purulenta."

DESCRIPTIO MORBI.

Misera hæc tabes, de qua agitur, nulli forsan regioni, per totum orbem terrarum, omninò est ignota; sub cœlo verò vario et mutabili quàm maximè grassatur. Genus fœmininum, præ virili; et utrumque ab ætate pubere ad annum forsan usque trigesimum quintum, ut plurimùm adoritur. Ex contagio originem ducere multis persuasum est. Aliter aliis, et


jure ut mihi videtur. Incipiente, utcunque, phthisi, æger ferè tussi aut tussiculâ levi et siccâ corripitur, motu, et sub noctis accessu auctâ; de doloris, aut stricturæ, aut ponderis, in pectore vel latere, sensu queritur. Dyspnœa vexat; sub quavis exercitatione augetur; et vesperi imprimis recursat, unde somnus multùm turbatur. Pulsus durus et modicè celer. Alvus ferè difficilis. Tussis paulatim frequentior, et uni lateri quàm in alio incumbenti molestior evadit. Febris aut febricula vesperi præsertim observatur, et cum levi horrore quandoque repetit; plerumque verò absque ullo horrore prægresso, solâ pulsûs celeritate, calore aucto, et rubore genarum circumscripto, se manifestat. Sitis rarò urget, et cibi appetentia parùm prosternitur. Hisce signis prægressis, succedit gradatim emaciatio. In volis manuum molestus caloris sensus habetur, et pedum plantæ quasi ardent. Lingua rubra et aliquando inflammata evadit; et demùm, super eam, et in faucibus, aphthæ efflorescunt. Oculi, qui olim radiabant, languescunt, et margaritarum colorem æmulantur. Expec-

toratio fit liberior, copiosior, et purulentior, et subindè cruore, aut sanie, aut floridi sanguinis lituris admista. Pulsus pleni, et etiam primo mane citatiores feruntur. Tussis et dolor lateris ingravescunt. Vox redditur rauca, respiratio crebra et molesta. Sitis augetur, et cibi appetitus minuitur. Febris hectica magis, magisque increscit, et meridie et vesperi ingravescit. Accessionem vespertinam sudor colliquans, minimè criticus, et nihil certi levaminis adferens, excipit, qui primùm circa caput pectusque contentus, persistente morbo, magis profusus, magisque fluit, et dein, omnibus corporis undique partibus prorumpit. Urina, alto colore tincta, materiem quasi laterem in pulverem tritum, deponit. Sub hoc stadium succedunt suprema corporis macies, virium quàm maxima prostratio ; exscreatio difficilis ; et summa spiritûs, cum metu suffocationis, difficultas. Vesperum versus, pedes tumescunt. Urinæ fluxus minuitur, facies constricta expallescit, et auctâ usque vi mali, defluunt capilli ; ungues incurvantur ; oculi subsidunt, et quasi excavati fiunt ; ca-

ligo eorum invalescit. Diarrhœa colliquans et sputi suppressio, cum magna anxietate, quæ hoc in stadio vehementer urget, mortem in propinquo esse prænunciant. Demùm fit delirium, et suspensâ tandem respiratione, æger, verum cadaver referens, solis propedum ossibus et cute relictis, ex vita tranquillè enatat, et placidâ mergitur morte.

Talis est morbi generalis decursus; varia verò variis temporibus ejus est duratio et vehementia; nunc, citò ad exitum rapit; nunc, et haud infrequenter, per duos et amplius annos, laborantem exhaurit maceratque. Sub æstatem namque, morbus aut evanescat, aut remittat, et ægri sub sanitatis specie, vanâ spe lactantur: fomes verò quasi in cineribus latitat, novos posteà tumultus suscitaturus. Revertente igitur autumno aut hyeme, revertitur et morbus, et hoc modo iterum iterumque abeat redeatque. Plerique tamen phthisici ultimò pereunt; seriùs enim vel ociùs, omnia jam dicta in historia morbi symptomata redeunt, dum nova, nempè tu-

bercula, pus collegerunt, et rumpuntur, et ad extremum perdurant ingravescuntque.



CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

ÆTAS mirum in modum ad hunc morbum proclives facit; et etiamsi nulla ferè ætas, sexus aut temperamentum, ab ejus periculi labe exempta, ab anno tamen decimo octavo, ad trigesimum quintum, maximè grassatur; quoniam secundum corporum nostrorum legem, tum ad pulmones sanguinis fluxus major fit; adeòque insidiosa est morbi natura, ut sexum muliebrem, præ virili, in universum adoriatur, et in ipso ætatis flore, venustissimæ formæ juvenes utriusque sexûs, rapiat. Satìs quoque constat a temperamento multùm pendere, et sanguineum esse huic morbo magis obnoxium; cujus notæ sunt, cutis mollities, lævitas et nitor amabilis; oculi et capilli ad albedinem quàm nigritiem viciniores, ingenii vis et claritas, &c. Nota-

tur etiam quod certus corporis habitus, vel specialis systematis conformatio, ad phthisin disponit. Eos, quibus thorax malè conformatus, contractus, angustus et incapax sese explicandi, collum procerum et tenue, scapulæ alarum instar prominentes, et præcipuè labes hæreditaria cum scrofulæ indiciis, sine quâ pauci in morbum incidunt, imprimis adficit.

CAUSÆ EXCITANTES.

Quoniam varias et propè innumeras causas, quæ hunc morbum excitent, longum, arduum, et difficillimum describere foret, et prætereà, limites huic chartulæ assignatos multùm transiret, de præcipuis tantùm mentionem facere statuo. Hæc mihi videntur esse,

1mò, *Hæmoptysis.*—Sanguis ex vasis pulmonis effusus, etiamsi raró, quandoque tamen, ulcus inducere potest; si larga sit rup-

tura, vulnusque primâ intentione sanari nequeat; sanguis namque, aut serum, extravasatus, vel per substantiam cellulosam, vel pulmonum cellulas pervagetur, unde phthisis oriatur; parvam quoque rupturam sæpiùs repetitam simile malum sequi potest, et præcipuè si in phthisin jam adsit proclivitas.

2dò, *Pneumonia.*—Hæc perrarò, nunquam forsan, nisi in proclivibus, phthisin gignit; pneumonia resolutione frequentiùs supprimitur; si verò, quando ulcus superveniat, hoc, pure ex pectore egesto, plerumque consolidatur.

3tiò, *Asthma,*—multos inter medicos causa excitans habetur: experientiâ verò multiplici, et quotidianis observatis, docemur, quod multi hoc morbo fatigati, phthisi nunquam inductâ, persenescant.

4tò, *Catarrhus.*—Nemini non notum est quandoque catarrhum excipere phthisin, aut inflammatione ad pulmones propagatâ, aut tuberculis, si valida et diuturna tussis nimis pulmonem quassaverit, irritatis et inflammatis, aut sanguinis fluxu per pulmones im-

pedito, unde vasa eorum rupturæ magis obnoxia redduntur.

5tò, *Tubercula.*—Inter omnes constat medicos, tubercula scrofulosum corporis habitum ut plurimùm comitari, et phthisin ex tuberculis præ aliis causis, oriri, æquè constat; scrofulâ igitur affecti, hanc labem quasi hæreditario jure sibi vindicare videntur. Ad quod stabiliendum Professoris nostri eximii verba proferre liceat: "Magna certè similitudo et analogia est inter tubercula et ulcera phthisica in pulmonibus, et tumores abscessusque scrofulosos in cæteris corporis partibus *."

6tò, *Acris* quoque *materia*, et *pulvis* ore assumptus, phthisin quandoque inducere creduntur, aut concrescendo et quasi tubercula formando, aut jam formata acriùs irritando; ideòque multi artifices, molitores nempè, lapicidæ, linurgi, quique similes exercent artes, hujusce mali periculum adeunt. Ex siphylide hæc similiter oriri putatur. Acrimonia a

* Vid. Gregor. Tent. Inaug.

variis morbis orta, variolâ nimirùm, morbillis, scarlatinâ, et præsertim a scrofulâ, eundem effectum, Culleno testante, præstat.

DIAGNOSIS,

Quippe quæ in re medica quandoque difficillima, æquè ac semper utilissima, medici quàm maximam attentionem meretur. Morbi igitur quibus cum hoc nostro aliquid commune est, quatenus sciam, sunt Catarrhus, Pneumonia, Asthma, et Empyema; qui ne simul confundantur, de differentiis quæ inter eos phthisinque existunt, pauca ordine dicentur.

Catarrhus, — vel autumno vel hyeme ut plurimùm adoritur, frigoris semper noxam subsequitur, cui superveniunt coryza, raucedo; ab ipso morbi initio tussis cum muci expectoratione, et plerumque cedens æstati, morbus est.

E contrà, autem, phthiseos indicia profert tussis vel tussicula, non protinus ab initio, non semper a frigore orta; vere vel autumno præcipuè infestans; non æstate decedens; initio sicca, paulatim et ita clanculùm obrepens, ut ab ægro vix percipiatur, omninò negligatur, et medicum etiam aliquando lateat, præcipuè si post prægressam hæmoptoën non sequatur. Tussis fit paulatim crebra et molesta, spiritus difficilis; supervenientes dein macies, cum debilitate, tuberculum in pulmone haud obscurè latescere docent, quod certiùs et evidentiùs fit, cùm pus exscreatur et *febris hectica*, a CULLENO ita descripta, formatur:

"Febris quotidie revertens, accessionibus meridianis et vespertinis, remissione, rariùs apyrexiâ, matutinâ; plerumque sudoribus nocturnis, et urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente."

Pneumonia.—Notæ, quibus phthisis ab hoc morbo dignoscatur, satis conspicuæ sunt; ab eo namque phthisis, tardo aggressu, absentiâ

doloris pungentis et vehementis, et magnæ pyrexiæ, haud difficilis discretu est.

Asthma.—Discrimen,quod phthisin inter et asthma intercedit, raró confunditur, quippè quod affectio est spasmodica, paroxysmis invadens, et antispasmodicis sublevatur.

Empyema.—Diagnosin empyema inter et phthisin facere, aliquando sanè arduum est, pleraque namque signa utrisque communia sunt; ex priore tamen morbi historiâ considerandâ, naturam ejus quodammodo detegere possumus; post prægressas enim pneumoniam et pleuritidem plerumque sequitur, et porrò, sensu sæpè in pectore fluctuationis stipatur.

PROGNOSIS.

Secundum morbi progressum, et varios fontes unde phthisis pulmonalis fluat, variasque circumstantias ægrum spectantes, variam

prognosin deducimus. Ex phthisi etiam incipiente, faustum eventum sperare et promittere vix licet; confitendum enimverò, quacunque de causâ ortam phthisin, inter morbos graves et curatu difficillimos collocandam esse. Vita verò, utut spei incertæ, sæpenumerò adhibitâ curâ, tametsi pulmonis ulcus adfuerit, regimine bono et prudente medicamentorum administratione, per longos annos protrahi potuerit; et præcipuè si respiratio fuerit facilis; hæmoptoë parca neque sæpiùs iterata, tussis mitis; expectoratio libera, non olida; thorax capacior; habitus corporis naturâ validus; et tabes a parentibus non transmissa: limitesque forsan rationis verique haud transeamus, si pro certo asseramus, quod ægri diu phthisi fatigati, omni tandem materie purulentâ rejectâ, benè se habeant, bonoque corporis habitu fruentes, non rarò persenescant. Deplorandum verò, quod huic contrarium sæpiùs occurrat, et omni medicorum operâ exhaustâ elusâque, vita demùm cum morte commutetur, eòque celeriùs quò plura simul tubercula in inflammationem et suppurationem abeunt.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Ut omnia operæ pretium non est, ita signorum unum alterumve præcipuum explicare tentabo.

Tussis.—Primo morbi stadio ab tuberculorum formatione, inflammatione, et irritatione originem trahit; stadio verò provectiore, et morbo maturo, et ab his, et ex pure effuso, exoritur.

Dyspnœa et *pectus gravatum,*—oriuntur, vel á thorace malè conformato, vel a tuberculis, quæ obstant, quò minùs liberè pulmones permeare sanguis potuerit, vel pulmonum dilatationem impediunt.

De *Febris Hecticæ* causâ diu inter medicos disceptatum fuit, et etiamnum sub judice lis est. Quamobrem, de hoc judicare, aut in re

tam incertâ certos fines ponere, mihi vix licet. Ego, utcunque, puri ex pulmonibus effuso absorptoque libentiùs tribuerim, quòd in sanguinem receptum, cor et arterias acredine suâ stimulat, calorem præter naturam auctum, hecticamque ciet. Hinc quoque citatiores solito pulsus fiunt. Eorundem verò celeritas, in principio mali, inflammationi et irritationi tuberculorum, et sub finem, debilitati, magna ex parte, tribuatur.

Emaciatio,—a pravâ cibi digestione et assimilatione, febre hecticâ vires depascente et exhauriente, et adipe resorpto, induci videtur. Obstructio quoque pulmonum ad hanc inducendam haud parùm conferat; aër namque circumambiens, omnibus assentientibus, aliquid ad vitam sustentandam necessarium, semper in pulmones secum inducit.

Diarrhœa colliquans,—et ab acredine morbidâ ad intestina translatâ, quâ nimirùm glandulæ eorum mucosæ stimulentur, et alvus præceps reddatur; et ab exhalantibus præter naturam laxatis, et sudoribus compressis, exoritur: eòque magis, si eo humorum impetus

tendatur: lex enim rata stabilitaque est, externas inter et interiores excretiones, quod, prout illæ procedant, hæ comprimantur, et vice versâ. Ita cutis halitum frigore aut aliter suppressum, diarrhœa aut urinæ fluxus excipit. Et similiter, constrictione vasorum ad summam cutem amotâ, et diaphoresi inductâ, urinæ quantitas minuitur, alvus quiescit, quandoque duci difficilis evadit.



RATIO MEDENDI.

Ad partem utilissimam nunc venimus spectandam, quam tamen quàm levissimè exsequar: varia igitur conamina hujus morbi curandi, antiquissimo quoque tempore in hunc usque diem, facta, dicere recuso. Talis enim observationum series foret longa, fastidiosa, et haud operæ pretium: et sanè post prognosin adeò infaustam, et organorum affectionem tam

intimum cum vita connubium ineuntium, de remediis omninò mentionem facere, alienum forsan videatur; nulla enim hucúsque inventa aut explorata, vi specificâ pollere videntur; nullaque existere; quorum beneficio phthisis vera ad sanitatem perduci queat, est quod omnes boni candidique mecum doleant. Sed cùm adhuc est in incunabilis, multùm efficere possumus. In stadio etiam provecto, etiamsi ejus nunc curatio nec ab optimis remediis sit obtinenda, causam leniter compescendo, effectum minorem reddere liceat: in illo stadio, igitur, incumbi debeat, ut, urgentia symptomata mitigando, si in totum tolli nequeant, pejoraque ac funesta avertendo, placidè magis peragatur quod de vitæ curriculo superest, et ad longius tempus protrahatur; et sanè auxilii et levaminis quodque possumus adferre, crudele et inhumanum foret ea negare. Etsi igitur nihil spei ad salutem reliquum videatur, misericordiâ tactos, ægrum respicere decet. Ex morbi itaque historiâ undique considerandâ, ad indicationes duas, *curatoriam* nempè et *palliativam*, referri, obvia sanè ratio est.

Primò,—Ad diathesin phlogisticam minuendam, tubercula, si fieri potest, discutienda, aut inflammationem eorum præveniendam vel amovendam.

Secundò,—Symptomatum quorundam violentiam, compescendam leniendamque.—De quibus, ordine, pauca dicendum est.

Primo Consilio convenit *regimen antiphlogisticum.* Ex curatione igitur antiphlogisticâ, imprimis vasorum depletionis utilitas habenda est, nimirùm quod præsentem, hæmoptoën minuit, et imminenti obviam it, habitum inflammatorium congestionemque sanguinis in pulmonum vasis amovet, eòque tuberculorum formationi, aut saltem inflammationi, et eorum augmini, adversatur: porrò pectus oppressum, dyspnœam auctam, et dolores graves, levat. Hoc per venæsectionem efficaciùs efficitur. Primo igitur morbi stadio, quo nimirum ejus curationis spes aliqua adest, missione sanguinis occurrendum est, non semel tantùm, sed quandoque vicibus iteratis; accuratè verò ad ægri vires attendatur, an majori vel minori sangui-

nis jacturæ essent ferendæ; sanguinis enim detractio corpus relaxat, debilitatemque inducit, quæ in hoc morbo, præ aliis, plena periculi res est.

Diæta, — tenuis, facili solutione, modicè nutriente, et quæ bonum chyli pabulum, facilè assimilandum daret, nullo modo verò irritante aut phlogisticam diathesin accendente, esse debet. Plerumque ex oleribus, frugibus, farinaceis, et lacte, constare necesse est. Lactis insignem usum omnium ferè medicorum observata confirmant, medium nimirùm animalem inter et vegetabilem materiem locum obtinentis, carnis stimulo liberi, et multi boni cibi participis. Itaque certis corporis conditionibus, quibus alimento opus est, et quibus stimulantia haud parùm nocerent, quàm maximè accommodatum est. Et e lactis generibus, lac humanum tanquam optimum laudatur; lac verò, humanum difficiliùs obtinetur, variisque casibus qui tali diætâ egeant, haud suffecturum est; et etiamsi sese affatim suppeteret, plerique tamen fastidio

aversarentur. Quamobrem asinino magis utimur, quippè quod multum habens seri dulcis, et parum caseosæ substantiæ, ad lac humanum propiùs accedit, et cæteris, equino scilicet, bovino, caprino, et ovillo, facilè palmam præripit. Carnis autem et piscium ex usu haud ex toto interdicendum est, parcâ tamen manu porrigantur, ad vires solummodò morbo exhaustas sustentandas, deperditorumque jacturam, si fieri potest, reficiendam. Juscula quoque ex carnibus gelàtinosis, ossibusque contusis confecta, quàm maximè accommodata sunt. Ejusmodi ægri, præterea, a potu spirituoso probè abstineant, necesse est; vini verò modicus usus aquâ temperati ac diluti, quandoque cum fructu præbeatur; et si labes hæreditaria sit, et æger scrofulâ quoque afficiatur, ex carnis vinique usu, largiori copiâ adhibitorum, haud parum boni est expectandum.

Nimiæ omnes animi affectiones, fugiendæ; et corporis et animi æquabilis quies servanda est; motus namque tales, sanguinis fluxum

aut in pulmonibus nimis sistunt, aut ad pulmones majorem faciunt: motibus denique ab omnibus, quibus pulmones aut nimis concutiantur, aut eorum vasa distendantur, nixu, scilicet, corporis urgente, nimiâ vocis intensione, instrumentis musicis inspiratione, ac similibus, ægri quàm cautissimè sibi caveant.

Quod *cœli rationem* attinet;—quò mitius, quò purius, quò æqualius et serenius est cœlum, eò magis phthisicis proficuum erit; temperatè calidum igitur, et Jove benigno dotatum, septentrionalibus potius est. Loca à medicis quàm laudatissima, sunt Gallia Australis, Neapolis, Melita, Lusitania, insula Madeira. Aëris tamen æstus æquè ac frigus est vitandus, quorum prior si nimius sit, sanguinis fluxum accelerat, sat commodè pulmones permeare impedit, et anxietatem et dyspnœam secum trahit. Rursùs verò frigus eâdem vi pollet, cutis superficiem in arctiùs contrahendo, perspirationem occludendo, humores retrò ad interiora urgendo, habitumque sic inflammatorium accendendo;

et sanguis qui nunc majori copiâ internè mittitur, sæpiùs tuberculis viam struit; et si tubercula jam adsint, in ulcus et hæmoptoën, ea irritando, finiri facit: hinc ita temperandum utrumque, ut neutrum peccet excessu. Æger, porrò, si ex morbo assurgescit, cautè sibi caveat; si auræ enim tantùm frigidiusculæ rivo affletur, facilè relabatur; saltem graviter et non sine læsione ferat: quare agendum, ut habitus corporis, contra frigoris sævitiam, vestimentis ex lana factis, et præcipuè laneo indusio, quippè quod ad perspirationem sustentandam magis accommodatum, faciliùsque imbibendum quod exhalat de cute, neque frigoris sensum cuti imprimit, ut solent lintea, dum sudore madescunt, cujus frigoris stimulo vasa cutanea corrugentur, stringanturque, et perspiratio omnis inhibeatur, circumspectè muniatur. Vestes verò frigus tantùm arceant, corpus nullo modo gravent, et imprimis a pedum plantis frigus et humiditas defendantur. Aër, porrò, in cubiculo, per acrem hiemem, ita temperatus ægris concilietur, ut calor in *thermome-*

tro Fahrenheitiano gradum 60^{mum} vel 64^{tum} signet, quod aliqua ex parte, in aliena loca, sanitatis ergo, peregrinandi necessitatem tollet; hoc enim gradu caloris, perspiratio cum æquabili constantia sustinetur. Hæc quum ita sint, probè manifestum erit, extrema caloris et frigoris esse cavenda; utrisque enim magna nocendi vis inest.

Exercitium.—Hujus utilitatem in secunda infaustaque valetudine, et varios operandi modos dicere, totam dissertationem sibi ipsi posceret: ego igitur genera tantùm, et quàm levissimè, perstringam. Exercitium, quo non datur remedium præsentius nec præstantius ad tuendam sanitatem, morbosque avertendos, duplex est; *activum*, nempè, et *passivum:* activum, utpote motus a propriis musculis peractus, ad pulmones sanguinem validiùs concitat, et graves sæpè turbas ciet, ideòque huic morbo rariùs accommodatum, eòque minùs, quò vehementius erit.

Passivum eo in motu consistit, a quo corpus alienis viribus movetur: ejusmodi sunt equo, rhedâ, nave vehi.

In *equo* gestationem luculenta testimonia prodesse docent; equitationem enim ad astra clarus SYDENHAMUS tollit, mirificisque laudibus effert, quâ nimirùm multos a phthisi liberâsse testatur; et dicere non hæsit, equitationem in hoc morbo vires efficaces æquè exerere ac corticem Peruvianum in debellandis febribus intermittentibus et hydrargyrum in domandâ lue venereâ; et aliis locis de utilitate equitationis in hoc morbo mentionem facit. Hujus viri celeberrimi laudibus de hoc remedio, consentientes, nunc dierum, medicorum experientiam et auctoritatem non habemus; tristibus namque exemplis, et quotidianis observatis, tantum boni, quàm fama fertur, inde haud oriri, edocemur: quare ejusdem mentis non possumus esse, etsi nullum aliud forsan exercitationis genus præstantius invenietur.

Rhedâ vehi, et præcipuè in plano, ubi perpauci tantùm musculi intenduntur, aliquando prodest.

Ex gestatione verò in *nave*, maximus fructus est expectandus, utpote exercitium nun-

quam non constans, lene, et alacritate et tranquillitate quâdam animum perfundens, vacantem, nimirum, gravioribus curis, œconomicisque familiæ solicitationibus; quadratque maximè quibus, ob virium prostrationem, semet ipsi movendi, et dictis exercitii generibus utendi, facultas non est.

Corporis quoque *jactatio pensilis*, a cel. Doctore CARMICHAEL SMYTH laudata, utpote gestationis genus intra omnes uniuscujusque generis, et omni tempestate fruendum, multùm prodesse invenietur.

Exercitatio verò, quâcunque sub formâ, talis, quàm vires per morbum fractæ tolerare possunt, primo et lenis et brevis, esse debet; sensim tamen et celeritate et diuturnitate augeatur, meliùsque conducit, minùsque fatigat matutinis horis, tempore nimirùm, quo accessio febrilis minùs vexat, cùm meridie et circa vesperam febris hectica exacerbari soleat.

Digitalis remedium efficacissimum phthisi affectis, a variis medicis habetur; sæpiùs tamen nullâ vi speciali aut specificâ dotatam

esse, multiplici exemplo docemur; morbum enim sæpenumerò non modò non curat, sed in pejus vertit, imo lethalem multoties reddit, saltem oppressionem, anxietatem, et debilitatem adaugere videtur; eòque, in limitando ejus usu, cautela magna necessariò adhibenda sit. Sed cùm inter omnes constat, digitalim vi sedante pollere, in morbi igitur initio haud parvo fructu adhibeatur, quoniam diathesi phlogisticâ minuendâ, ad augmen tuberculorum impediendum, aut vomicas faciliores ut sanentur reddendas, haud parùm conferat. Et propter vim diureticam, œdema quoque, quod phthisin comitatur, minuit; sed in extremis morbi stadiis, nullum ex hujus medicinæ usu fructum, clari praxi medicâ asserunt, esse expectandum.

Cicuta in curanda scrofula maximum auxilium polliceri videtur; et, forsan propter similitudinem et analogiam quæ inter tubercula et ulcera phthisica scrofulamque existit, in curandâ phthisi quoque fuit laudata.

Murias barytæ, sub formâ solutionis, in dosibus quinque vel decem guttarum bis terve

in die, exhiberi solet, et sensim et cautè, prout æger ferat, augeatur: nunc verò minùs prodesse videtur.

Balsama quoque olim adeò laudata, nunc jure desueta sunt.

Ad indicia quædam graviora levanda, anodynis seu soporificis, quorum in numero maximè eminet *opium*, prudentes medici uti solent, nimirùm quod ad asperam tussim sedandam, dolores consopiendos, somnum ducendum, et diarrhœam vel præcavendam vel compescendam magnoperè valet; eòque plùs emolumenti, præsente lenimine, quàm, habitum inflammatorium accendendo, aut expectorationem sistendo, nocumenti adferre solet. Si enim nocturnis horis quies, quæ et ægris et sanis adeò est necessaria, haustu anodyno laboranti concilietur, observatum est, quod matutinis horis, pus bonum, et, ut medici loquuntur, benè coctum, facilè ac cum leva-

mine educatur. Administrationem verò opii multò forsan prudentiùs differamus, usque-dum accessio febrilis abeat: tempus itaque matutinum ejus usui magis accommodum erit.

Constat evidenter, *emplastra meloës vesicatorii*, thoracis nempè lateri applicata, quod magis affectum videatur, prodesse; ad certam corporis partem humorum affluxum derivant, accelerant et foras pellunt, dolorem pectoris et irritabilitatem minuunt, et spasmum arcendo, expectorationem promovent. Huc quoque referenda sunt *ulcera perpetua* aut *fonticuli*, a quibus majus levamen, quàm pro puris quantitate, profluere fertur.

Acidum sulphuricum, vel cum mucilaginosis, vel cum aqua rosarum certâ proportione, simul consociatum, cum fructu adhibetur; sitim namque sedat, tussim æstumque febrilem mitigat, corpus refrigerat, et sudoribus quàm maximè obstat; et in hanc salubritatis notam incurrunt conspirantque *fructus maturi*, citrus aurantium, citrus medica, fragi hortenses, ac similia: porrò operam planè insignem præ-

stant, quippe quæ putredini potenter resistunt.

Cùm tussicula ægrum perpetuò vexet, originem ab faucium irritatione ducens, *res mucilaginosæ*, cum opio præsertim conjunctæ, unde duplex bonum resiliet, sub forma nempè trochiscorum glycyrrhizæ et opii, et alia hujusmodi, has vias oblinendo, inviscando et acrimoniam ipsam forsan enervando, multùm prodesse possunt. Lichen verò Islandicus adeò celebratus, nunc parùm aut nihil supra gummi mimosæ Niloticæ ascendere videtur.

Emetica, præcipuè quæ in ventriculum tantùm actionem ostendunt, ut *sulphas zinci*, prodesse invenientur, nimirùm quæ accessiones vespertinas mitigant, diarrhœam compescunt, promoventque expectorationem ; sed haud omnibus ex æquo, nec in omnibus morbi stadiis, proderunt emetica. Itaque cùm debilitas magna et sudores colliquantes ægrum exhauriunt, ex eorum usu nihil boni est mutuandum.

Ad levandum sensum dolentem et molestum, qui, sub tempus hectici paroxysmi, plantas

pedum volasque manuum occupat, ad fomenta cum aquâ tepidâ confugimus. Ad vires suffulciendas, cinchona officinalis ; ad dyspnœam levandam, quæ haud infrequenter urget, vaporum aquæ calidæ inhalationes, cum æthere ; ad discutiendos flatus, quibus venter non rarò distenditur, carminativa ; et ad aphthas, quæ aliquando adeò vexant, amovendas, absorbentia et astringentia, adhiberi solent.

Etiamsi verò omnes unanimi assentiunt medici, ea de corpore eliminari, quæ diutiùs retenta, non nocere non possent, de iis tamen evacuationibus, quæ per cutis vasa, et per alvum fiunt, præsertim in morbi hujusce stadio provectiore, magis metuere medicum decet ; observatur enim, quod, dum funesta phthisis in dissolutionem vergit, diffluant sudoribus miseri, et quoque notatur, alvi fluxum colliquantem solere vitæ finem ponere : ob has igitur rationes, cautione uti decet, ne sudores excitando, vel alvum movendo, mortem acceleremus. Si verò alvus nimis adstricta sit, quod semper ferè in principio mali, a naturâ ipsius morbi, utì et in stadio etiam provectiore,

ab usu anodynorum, aliquando accidere solet, et a nimio nixu in fæcibus induratis expellendis, aut ab irritatione, quæ ex iis diutiùs retentis necessariò oriatur, et in totum corpus agat, quid metuendum foret, tarditas ejus non nisi per clysma emolliens solicitetur, ut contenta dimitteret; usum namque purgantium aut etiam laxantium ore assumptorum, non rarò diarrhœa colliquans excipit, quæ, quandocunque occurrat, opiatis et astringentibus sublevetur.

FINIS.